



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XLV. Declaratur, quomodo peccatum mortale causa sit malæ mortis
propter ingritudinem peccatoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

quitur, *mala mors putanda non est, quam bona vita precesserit.* Neque enim Deus illum, qui viuit, valensque ipsi seruiert, in maximâ necessitate, ac periculo deserturus est, neque hoc in infinitam Dei bonitatem, & misericordiam cadit: sed tunc (quemadmodum diximus, sacra testatur scriptura, iusti que omnes experti sunt) maximi futuri sunt fauores, & auxilia, quæ Deus impertiet ijs, qui viuentes ipsi seruiert, quibus eos animabit, confortabit, consolabiturque, vt cum spirituali tranquillitate, mortis ærumnam sustineant, & cum pace securitatêque ex temporali, ac miserabili vitâ ad æternam, beatamque migrent.

Declaratur, quomodo peccatum mortale causa sit mala mortis propter ingratitudinem peccatoris.

C A P. XLV.

PRæter dictas à nobis rationes, ob quas peccatum mortale causa male mor-

mortis existit, sunt duæ aliæ valde ordinariæ, & quæ magnam vim ad tam malum effectum, quàm iste est, producendum habent. Vna earum est, ingratitude erga Deum, ipsiusque beneficia. Quòd Deus hominem è peccatis mortalibus eripit, & in gratiæ statum restituit, altissimum beneficium est; quantò enim maius est malum, unde Deus hominem extrahit, & quantò maius bonum, ac dignitas, quam ei tribuit, tantò maius est beneficium; atque in hac vitâ maius malum esse nequit, quàm peccatum mortale, nec maius bonum, altiorq; dignitas, quàm gratia, quæ hominem filium Dei facit, eique titulum dat, ac ius ad regnum cælorum. Hoc beneficium obligat hominem, vt erga Deum valdè gratus sit; & gratitudo consistit in magni æstima-
mandâ gratiâ, dignitateque acceptâ, conseruando eam per bonam vitam, & in multum honorando Domino, qui beneficium dedit, diuinam eius voluntatem in omni re exequendo.

Hanc

Hanc gratitudinem exigit S. Paulus à fidelibus, qui istud beneficium acceperunt, dicens: *a Eratis aliquando iacentes in peccatorum tenebris; & Deus vos in Fidei, gratiæque suæ lucem extraxit: ut filij lucis nunc ambulate; tam puram, & sanctam vitam viuite, quàm decet homines, qui tantam lucem participant; & in rebus omnibus probate, quid sit beneplacitum Deo, ut per omnia diuinam eius voluntatem exequamini. Quando homo, qui hoc beneficium accepit, consentit in aliquod peccatum mortale, per quod gratiam amittit, Deumque ad iram commouet, ingratus est erga hoc beneficium, & ingratitude peccatum committit; quantoque sæpius, postquam accepit veniam, & iustificatus est, denuò peccat, tantò ingrator, & peccatum ingratitude maius est. Grauite Deus hanc ingritudinem sentit, & de eâ conqueritur per Ieremiam, populo suo dicens: *b Ego plantaui te, fecique**

a Ad Eph. 3. 8. b Ier. 2. 21.

ei que quasi vineam electam, valde que
fertilem, ieci in te semen bonum san-
ctorum hominum; quomodo conuersa es
ad iniuriam meam in vineam prauam,
& sterilem, & pro bono, suauissimoque
virtutum fructu malum, & amarum,
peccatorum fructum tulisti? Ordina-
ria, qua Deus hanc ingratitudinē ple-
ctit, pœna est, quod ingratum homi-
nem in peccatis suis mori finit. Et præ-
sertim hanc pœnam exequitur, quan-
do, postquam homini sæpè veniam,
dedit, is eadem peccata denuò, vel alia
maiora commisit. Hanc tam formida-
bilem pœnam minatur Deus per Isaiã,
dicens: *a Quid est, quod debui ultra fa-
cere vinee populi mei, & non feci ei? An
quod expectaui, ut faceret dulces vvas,
quæ sunt virtutes, & fecit amaras la-
bruscas, quæ sunt impietates? Et nunc
ostendam, quid ei propter hanc ingra-
titudinem faciam: auferam sepem eius, &
erit in direptionem; diruam maceriam
eius, & erit in conculcationem: & ponam
eam*

a Is. 5. 4.

eam desertam; non putabitur, & non fo-
 dietur; & ascendent vepres, & spina; &
 nubibus madabo, ne pluant super eam im-
 brem. Explicat in hoc Deus poenam
 ingratitude, quæ est negare pecca-
 tori superabundantes fauores, quibus
 eum defendebat, protegebatque, &
 doctrinam, ac sanctas inspirationes,
 quas ei communicabat, vt vitæ bonæ
 fructum daret, & relinquere eum in
 suis vicijs, donec vitam in illis finiat:
 quemadmodum fecit populo Iudai-
 co, & quotidie facit propter ingratu-
 tudinem innumeris Christianis, qui
 post acceptam sæpè veniam ad iniqui-
 tates suas redeunt. Ponderat S. Ber-
 nardus hunc ingratitude effectum,
 & poenam hisce verbis: *a Ingratitudo*
hostis est gratia, inimica salutis animæ,
virtutum dispersio, beneficiorum Dei per-
ditio. Ventus est urens, siccans sibi fontem
pietatis, & rorem diuinæ misericordiæ.
Nihil ita displicet Deo, præsertim in filijs

a D. Bern. serm. 51. in Cant. & serm. 2.
de 7. panibus.

De grauitate peccati mortalis. § 13

gratie, in hominibus conuersionis, quem-
admodum ingratitude. Hinc mihi, fra-
tres, tristitia magna, & dolor continuus est
cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad
leuitatem, ad risum, & ad scurrilia verba
tam faciles video: ut pertimescam valde,
ne ingrati tam multis beneficijs, deseran-
tur à gratiâ, quam non ut gratiam vene-
rantur. Hactenus S. Bernardus. Quòd
si propter ista peccata, quæ leuia sunt,
& ordinariè venialia, quando non cor-
riguntur, sæpè homines deseruntur à
gratiâ Dei, finentis eos ob hanc ingra-
titudinem in maiora peccata incidere;
quantò magis propter grauia peccata
mortalia, eaquæ sæpè iterata, deserentur
à diuinâ gratiâ, & in illis à Deo in
pœnam huius ingratitude mori si-
nentur? Narrat sacra scriptura, Semei
grandem iniuriam fecisse Dauidi do-
mino suo, quòd videlicet cum Dauid
egrederetur Ierosolymâ, fugiens fi-
lium suum Absalom, lapides contra Da-
uidem miserit, eiquæ maledictione pesti-
mâ

mâ maledixerit. a Merebatur ille ob hoc delictum mortem: sed Dauid, ut pius, ignouit ei, filioque suo Salomoni in mandatis reliquit, ut pœnâ aliquâ hominem afficeret. Salomon ergo in pœnam ei iniunxit, ne Ierosolymâ excederet, sed ciuitatem pro carcere haberet. Obtemperauit ille huic præcepto per tres annos, quibus elapsis, egressus est Ierosolymâ ad requirendos quosdam seruos suos, qui auferant, adeoq; mandatum regium transgressus. Hoc Salomon intellecto iussit eum quamprimum morte multari. Cum maius fuerit delictum, iniuriâ regem suum affecisse, quare non propterea occisus fuit, sed postea, quod Ierosolymâ fuisset egressus? Ratio est, quia primo delicto adiunxit ingratitude, quod veniâ donatus, iterum peccauit, regis sui mandatum negligendo. Hoc ipsum peccatori accidit, Deum grauibus peccatis offendenti, propter quæ licet æternæ damnationis mortem

me.

a 2. Reg. 16. 6. & 3. Reg. 2. 9.

mereatur, videns tamen Deus pœnitentem, veniâ ipsum donat, monetq; ne denuò peccet, per Sapientem ei dicens : *a Fili peccasti? non adicias iterum peccare; sed & de pristinis deprecates, ut tibi dimittantur.* Et Christus cui-dam peccatori, quem sanauit, & in huius personâ ceteris omnibus dixit : *b Ecce sanus corpore, & animâ factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid, nimirum æterna damnatio, contingat.* Huic admonitioni Dei peccator non obedit, iterumq; sæpiùs peccat, mandata illius transgrediendo. Et quia primis peccatis addit hanc tantam ingratitude[m] erga pietatem Dei, qui ipsi ignouit, quæ ingratitude[m] facit, vt vltima peccata, licet eiusdem naturæ, maiora tamen, & damnatione digniora sint; venit iustissimus Deus, illumque punit, sinens eum in suis peccatis absque pœnitentiâ mori. Hæc pœna frequens admodum, & ordinaria est, quam Deus contra hos ingratos peccato-

a Eccles. 21, 1, b Ioan. 5, 14.

atores exequitur; eamque minatur per Ezechielem, dicens: *a* Si conuersus iustus à iustitiâ suâ fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, & ipse in peccato suo morietur. Quodnam verò hoc offendiculum? Id S. Gregorius, & Glossa declarant, dicentes: *b* Sicutiùs pœnitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo & corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare, in eoque culpâ suâ perseueret, ac moriatur. Hic ingratitude effectus est: ideoque S. Petrus de his ingratis peccatoribus dixit: *c* Melius (id est, minus malum) erat illis, non cognoscere viam iustitiæ, nec recipere veritatem Evangelij, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis in Euangelicâ lege traditum est, sancto mandato. Quamquam enim pro ipsis magnum malum,

a Ezech. 3. 30. *b* D. Greg. hom. 11. 118
Ezech. Gloss. ibi. *c* 2. Petr. 2. 21.

& peccatum graue, dignumque damnatione futurum erat, non agnoscere, nec recipere. Christi legem eis prædicatam, tamen contra illam, postquam eam receperunt, peccare, propter ingratitudinem erga tam ineffabile beneficium, maius malum, & peccatum eiusdem speciei grauius, ac damnatione dignius est. O ingratitudo, quis te non odio habeat, non timeat, non summâ cum sollicitudine fugiat? quis se non omni, quâ potest, diligentiam contra te defendat; quandoquidem tu facis, vt clementissimus Deus magnâ ex parte piam manum suam à peccatore abducat, eumque in maiora, quam antè, peccata incidere, in ijs manere, & mori, ac per temporalem mortem ad æterna tormenta transire sinat? Consideremus verba, quibus S. Bernardus vniuersos Fideles admonet, vt sibi ab hoc ingratitudinis peccato caueant, ita perorans: *a Obsecro itaque, fratres mei, humiliemur magis ac magis sub potenti*

a. D. Bern. serm. contra ingratit.

renti manu Dei, & ab hoc tam maxima,
 tam nequissimo vicio ingratitude longè
 fieri studeamus: ut totâ deuotione in gra-
 tiarû actione versantes, conciliemus nobis
 gratiam Dei nostri, qua sola potest saluare
 animas nostras. Nec verbo tantum, vel
 linguâ, sed opere, & veritate exhibeamus
 nos gratos ei, qui gratiarum actionem ma-
 gis, quàm dictionem à nobis exigit. Huc
 vsq̃ue S. Bernardus. O terq̃ue quater-
 que felices, ac beatos, qui postquam
 per pœnitentiam donum gratiæ, &
 iustificationis consecuti sunt, in eo
 perseuerant, nulli peccato mortali
 consentientes; hi enim tanquam gra-
 ti, Deum valdè beneuolum habebunt,
 ab eoq̃ue iuuabuntur, & gratiæ ipsius,
 æternæque gloriæ donis magnoperè
 augebuntur. Atque hoc est, quod S.
 Paulus ab omnibus fidelibus Dei ser-
 uis exigit, dicens: *a* *Euigilate inisti,*
& nolite peccare.

a 1. Cor. 15. 34.

Osten-